



non enim fuit igne combustus, nec gladio percussus, nec excoriatus, &c. Sustinuit tamen omnes passiones quantum ad genus hoc scilicet sensu, quod passus sit ab omni hominum genere, in omni bono humano, in omnibus membris, & in omnibus sensibus corporis.

Passus est (Ib.) ab omni genere hominum, scilicet a Gentilibus & Judæis, a masculis & feminis, ut patet de ancillis accusantibus, & a notis, ut patet de Joda proditore, & Petro cum negante. Passus est in omni bono humano; in suis amicis cum deserentibus; in fama per blasphemias contra enim prolatas; in honore, & gloria per irrisiones, & contumelias ei illatas; in rebus suis, per hoc quod vestibus sit spoliatus; in anima per tristitiam, & timorem; in corpore per vulnera, & flagella. Passus est in omnibus membris; in capite pungentium spinarum coronam; in manibus & pedibus fixationem clavorum; in facie alapas, & sputa; in toto corpore flagella. Passus est denique secundum omnem sensum; secundum tactum, flagellatus, & clavatus; secundum gustum, felle, & aceto potatus; secundum olfactum, in loco foetido cadaverum appensus patibulo; secundum auditum, lacessitus vocibus blasphemantium; & irridendum; secundum visum, videns Matrem & discipulum, quem diligebat, flentes.

Dico 5. (Ib.) Si considerentur simul omnes cause doloris Christi, ejus dolor fuit intensivè major omnibus doloribus præsentis vite. 1. (Ib. art. 6. o.) Dolor vel est sensibilis causatus ex aliquo nocivo; vel est interior causatus ex apprehensione alicujus nocimenti, & dicitur tristitia. Causa autem doloris sensibilis in Christo fuit corporis læsio acerbissima, tum propter generalitatem passionis, cum propter genus mortis, ut dictum est duabus præcedentibus conclusionibus. Doloris interioris causa fuit, 1. omnia peccata generis humani, pro quibus satisfaciebat patiendū, singulariter peccata Judæorum, & aliorum in ejus morte delinquentium. 2. etiam amissio vite corporalis, quæ naturaliter est horribilis nature humana.

2. (Ib.) Potest considerari magnitudo doloris Christi ex perceptibilitate patientis secundum animam, & secundum corpus. Nam secundum corpus, Christus erat optimè complexionatus, cum ejus corpus fuerit miraculosè formatum virtute Spiritus S.; & ideo in eo maxime viguit sensus tactus, ex cujus perceptione sequitur dolor; anima etiam secundum vires interiores efficacissime apprehendit omnes causas tristitiæ. 3. (Ib.) Magnitudo doloris Christi potest considerari ex doloris, & tristitiæ puritate, atque privatione omnis lenitivi. Nam in aliis patientibus mitigatur dolor exterior, & tristitia interior ex aliqua consideratione rationis per quamdam derivationem seu redundantiā à superioribus ad inferiores: quod in Christo non fuit, quatenus mentem, & imaginationem non avertit à consideratione illorum, quæ tristitiam causare possunt, sed ea omnia attentè consideravit, & simul dimisit unicuique tormentorum agere, & unicuique virium agere & pati, quod illis proprium est; ita ut unus actus non impediret alium, nec gaudium unius partis redundaret in aliam; idque maxime quia passionem illam, & dolorem voluntariè assumpsit propter liberationem generis humani à peccato; & ideo tantam doloris quantitatem assumpsit, quæ esset proportionata magnitudini fructus, qui inde sequebatur.

Ex his igitur omnibus causis simul consideratis manifestè apparet, quod dolor Christi fuerit intensivè maximus dolorum præsentis vite.

Dicitur, ex omnibus causis simul consideratis; quia, si una tantum causa consideretur, posset in aliquibus esse major dolor. Dicitur, præsentis vite; quia hic non agitur de poenis Inferni & Purgatorii; licet Sectarii dixerint blasphemando, Christum illas sustinuisse in hac vita.

ARTICULUS II

Varia Passiones Christi circumstantia breviter expenduntur. De Judo proditore.

Petes 1. Quantum fuit proditionis pretium Judæ a Judæis constitutum? R. juxta Scripturam Matt. 26. constitutus fuisse 30. argenteos. Sed difficultas, quid intelligatur per 30. argenteos.

Per 30. argenteos vulgò intelliguntur 30. denarii: unde communiter dicitur, Christum venditum fuisse 30. denariis: & sic intelligit Ambros. l. de Spiritu S. c. 18. denariis autem apud Hebræos æquivalerat 10. circiter assibus monetæ gallicæ; & sic Christus venditus fuisse 15. circiter libris gallicis.

Verum Interpretes communis, & probabilis per argenteum intelligunt scilicet, si non specie monetæ, saltem valore; sicque videtur intelligendum ex collatione Scripturarum. Etenim 3. Reg. 10. ubi narratur emptio a Salomone facta quadrigarum, & equorum, dicitur quadrigam quamlibet emptam esse 600. siclis æquum quemlibet 150. siclis; lib. autem 2. Paralip. c. 1. ubi ca-

dem historia refertur, quadriga qualibet dicitur empta 600. argenteis, & equus quilibet argenteis, 150. ubi argenteus & silcus pro eodem habentur: sicque passim usurpat Hieron. in versione Scripturæ. Sic autem argenti, alio nomine Stater, juxta communem estimationem eruditorum, qui hæc de re scripserunt, valebat duas drachmas Hebræas, 4. atticæ, seu 4. denarios, seu 4. solidos, uno verbo 40. circiter asses. Unde Christus venditus fuit 60. circiter libris gallicis.

Oppones 1. Illud Amos c. 2. Super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non convertam eum, pro eo quod vendiderint pro argento justum, & pauperem pro calceamentis: hoc est, tam villi pretio, ut vix sufficiat emendis calceamentis. Hoc autem dictum de venditione Christi intelligitur: ergo non 30. siclis, sed 30. denariis venditus fuit. R. Quod si iste locus litteraliter intelligatur, neque etiam 30. denariis venditus fuit, superant enim pretium calceamentorum. Est itaque figurata locutio ad magis exprimentam vililitatem pretii respectivè ad dignitatem rei venditæ: sicut apud eundem Amos c. 8. dicitur: Possideamus pauperes pro calceamentis: id est, habeamus pauperes pro re villi.

Oppones 2. Romæ in Ecclesia S. Crucis, & alibi ostenduntur nummi ex iis, quibus venditus est Christus; atqui non superant valorem 20. assium: ergo. R. In primis non constare, esse veros nummos, quibus venditus est Christus. Et dato id constare, nihil inde evinci potest contra nos: autè omnia enim probandum foret, integram summam 30. argenteorum fuisse Judæ solum eadem specie monetæ, & non pluribus minoribus monetæ integram summam conflant fuisse: id autem certe quis scit?

Petes 2. Quo genere mortis obierit Judas? R. Juxta Matt. 27. Laqueo se suspendit. Et Act. 1. Suspendus crepitit medius, & dispersa sunt omnia viscera ejus. Verum Græci referunt ex Papia Joannis Evangelistæ discipulo, Judam suspendio vitam non finivisse, sed dejectum ex arbore supervivisse; tum postea corpore aded inflatum, ut progredi non posset, & ex curru pertransiente compressum fuisse, ita ut effunderentur ejus viscera, & sic expliant locum Act. Verum non constat ullatenus, hæc esse ex Papia. Et aliunde sensus obivus Scripturæ est, quod in vel ex suspendio crepitit medius, suspendus crepitit medius, sive ex violentia strangulationis, sive ex permissione Divina, sive ex eo, quod ceciderit super ventrem, qui ideo crepitit.

Petes 3. Ex qua parte ortus sit Judas? R. ortum esse ex urbe Cariot; & ideo dicitur esse Iscariotes, quasi vir Cariot, seu vir natus Carioti; Isch, enim hebræicè idem sonat ac vir. Cum autem fuerit duplex civitas Cariot, una in Tribu Juda, Jos. 15. altera in Tribu Ephraim, Amos 2. & Jerem. 48. incertum est, ex qua sit oriendus Proditor. Hieron. existimat, ortum esse ex Cariot Ephraim: qua ratione non explicat: ipsi tamen subscribunt plures Interpretes.

De Flagellatione.

Joannis 19. legitur: Apprehendit Pilatus Jesum & flagellavit. Matth. 27. Jesum flagellatum tradidit eis. Marci 16. Tradidit Jesum flagellis casum. Monet autem Lucas c. 23. hanc poenam Christo a Pilato fuisse inflatam, non ut delicto debitam, sed ut hoc supplicium delinere Judæorum, & sic Christum a morte eriperet.

Petes 1. An virgis, an funiculis nodosis, an loris Christus fuerit flagellatus? R. id non adeo liquere: flagellum enim est terminus communis significans, sive virgas, sive funiculos, sive lora. Id unum notandum est, quod Jure Romano ff. de poenis l. Significans, l. Porcia, & l. Semproniana flagellatio per virgas esset poena liberorum, flagellatio autem per funiculos seu lora esset poena servorum. Verisimile est autem, Pilatum virum Romanum ad vile servorum supplicium Christum addixisse.

Petes 2. Quantum fuerit numerus plagarum Christo inflatarum? R. id pariter incertum, esse. Quidam dixerunt, excessisse 3000. sed qua specie veri non apparet. Nam 1. Pilatus more Romano indubie processit in suo judicio: more autem Romano taxabatur à iudice numerus plagarum, & unus tantum licet flagellationis ministerium obibat, juxta illud solemne apud Romanos: I, licet, colliga manus, caput obrubito, virgis cadito. Non potuit autem unus licet tam brevi spatio tot plagas infligere; non enim Pilatus Principes Sacerdotum, & plebem, clamoribus Christi necem deposcentes, diu remoratus est. Corpus humanum non potest naturaliter tot millibus plagarum supervereri; & cum juxta hujus sententiæ patronos hæc plaga esset omnes sanguinea, totius corporis sanguis his non sufficisset.

Quantum verò numerum plagarum determinaverit Pilatus, ignoratur. Equidem secundum legem Judæorum non poterat excedere 40. sed Romano Jure nihil erat determinatum. Ceterum, cum milites injussi, & ex propria malitia post flagellacionem imposuerint Christo coronam spineam, & ipsum ludibrio habuerint, non negaverim, quin contra Legis & Judicis deter-

minationem plures ad flagellationem concurrerint, & numerum plagarum determinatum aliquo usque auerint.

Petes 3. An Christus semel tantum fuerit flagellatus? R. quosdam commissi Christum duas flagellationes sustinuisse; quia ex formula Judicis Romani omnes cruciarii ante crucifixionem flagellabantur. At precesserat in Christo flagellatio paulo ante, unde ulteriorem non jussit Pilatus; quod inde patet, quia cum in procinctu crucifixionis fieri deberet, nihil de ea referunt Evangelistæ, qui tamen nullam crucifixionis circumstantiam omittunt.

Petes 4. Quomodo Christus fuit flagellatus? R. Quamvis secundum legem Deut. 25. v. 3. Judæi prostratos humi flagellabant; attamen Christus ligatus ad columnam fuit flagellatus. Ità referunt Greg. Nazianz. Conc. 1. in Julian. Hieron. Ep. 27. S. Paulinus Ep. 24. Beda de locis sanctis c. 13. Greg. Turon. de gloria Martyrum c. 2. eaque columna visitur Romæ in Templo S. Praxedis.

De Corona Spinea.

Unicum est dubium, ex qua materia fuerit contexta? Communior sententia est contextam fuisse, non ex juncis marinis, sed ex spinis rubi, vel sentis: 1. Quia Spina, proprie loquendo, inquit Calepinus, est aculeus sentis vel rubi, quo pungitur. 2. Quia juncus marinus nullam sive in fuste sive in ramis spinam habet, sed solum ejus acumina in formam spinarum desinunt. 3. Quia non est verisimile, milites agentes Jerosolymis quæ longe distat à litore maris, habuisse ad manum juncos marinos, bene autem spines ex rubis vel sentibus, circa urbem crescentibus.

Verum his rationibus bene suadentibus opponitur corona spinea Salvatoris, quam S. Ludovicus magno pretio ex Barbarorum manibus redemit, & quæ nunc magna veneratione Parisiis colitur. Hanc enim asserunt ex juncis marinis esse compactam, nec solum frontem cingere ad instar diadematis, sed totum caput ad instar pilei tegere. Hæc, inquit Serrius, omnes Parisiensi testantur. Quæ si vera sit, corrumpunt rationes congruentes, & quæ alibi ostenduntur spine coronæ Dominicæ, habendæ erunt ut supposititiæ; quod omnibus suadere hæud facile puto.

De Sententia mortis in Christum lata.

Quidam opinati sunt, Pilatum non tulisse sententiam mortis in Christum, sed tantum eum dimisisse arbitrio Judæorum. At obstat, quod Pilato dicente Judæis: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum, illi recusant dicentes, nobis non licet accipere quemquam. Sive hoc dicerent ratione solemnitate Paschalis, sive quia agnoscebant adeptam sibi a Romanis hæc potestatem, quam tamen postea usurparunt in occasione S. Stephani. Nisi dicas cum quibusdam, id ipsis permissi a Romanis circa crimina sua tantum lege prohibita. Unde Pilatus sedens pro Tribunali, Adjudicavit fieri petitionem illorum: hoc est, Jesum cruciandum pronuntiavit, prout illi petebant.

Si queras: cur Judæi Jesum de blasphemia accusatum cruciandum postulaverint, cum secundum eorum legem Levit. 24. blasphemum non crucifigendi, sed lapidandi erant. R. Crucifigendum postulare, quia, cum essent Romani subjecti, & a Judice Romano sententiam requirerent, formulas judicis Romani sequi debebant. Apud Romanos autem frequens erat crucis supplicium, nusquam lapidatio. Aliunde non de sola blasphemia accusabatur, sed etiam de crimine læsæ Majestatis, quod se faceret Regem, & prohiberet dare tributum Cæsari.

De Crucis bajulatione, & Veronica.

Prokata à Pilato in Jesum mortis sententia, exiit chlamyde derisoria, & propriis induitur vestibus. Crux, cui affigendus erat, super humeros ejus imponitur. Id enim erat ex formula judicis Romani, ut crucifigendus cruceo suam portaret saltem usque ad egressum Urbis; quò cum pervenit Christus, milites Simonem quemdam hominem Cyrenæum angariaverunt ut talleret cruceo ejus, Matth. 27. Quia verò Lucas 23. dicit, milites imposuisse Simoni cruceo portare post Jesum, multi opinantur ambos simul portasse, Christo præunte & partem superiorem portante, Simone sequente & partem inferiorem bajulante, sicque solent representare pictores.

Verum reclamant SS. Patres, qui communiter docent, Christum onere liberum prævisse, & Simonem solum eo onustum sequutum fuisse.

Christum ad locum supplicii pergentem comitate sunt pie mulieres plangentis, & lamentantes. Fertur autem, unam ex eis nomine Veronicam, sudarium Christo obtulisse, ut faciem sudore, & sanguine madentem abstergeret, atque illud a Christo statim recepisse ejus facie impressa insignitum.

Duplex hic occurrit questio 1. de ipso facto, an sit ve-

rum? 2. de ipsa persona, an vocetur Veronica? Circa 1. tam in Evangelio, quam in SS. Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis usquè ad sæculum XI. altum est de eo silentium. Quòd enim Marianus Scotus Auctor XI. sæculi laudet in hanc rem Methodium; ignoratur, quis sit iste Methodius, & quando vixerit: non enim est magnus ille Methodius Tyrionum Episcopus, cum nihil simile legatur in ejus scriptis; & fabulæ, quas ex suo Methodio narrat Marianus, tanto viro tribui nequeunt. Ab XI. sæculo plures Scriptores Ecclesiastici, Marianus Scotus, Lucius Dexter, Petrus Diaconus, Baronius, & alii, imò summi Pontifices Nicolaus IV. Clemens VI., VII., VIII., & Greg. XIII. suis Diplomatum testantur, hanc sacram imaginem servari, & coli Romæ in Basilica Vaticana. Quapropter factum neque negare, neque asserere ausim.

Quantum ad personam, quæ dicitur S. Veronica, neque antiqui, neque recentiores, quos modò citavimus, illam agnoscent. Equidem hi ipsam imaginem sudario impressam vocant Veronicam, sed non mulierem imaginem gestantem. Inde igitur videtur natus error, quòd Veronica græcè idem est ac vera Icon, seu vera Imago; & cum vulgus audiret nomen Veronicæ, existimavit esse nomen non imaginis sudario impressæ, sed mulieris illam gestantis, atque hinc dixerunt sanctam Veronicam.

De Crucis magnitudine & forma.

Crucis longitudinem ad 15. pedes, latitudinem ad 8. ascendisse, multorum est opinio, sed infundata. Obstat enim 1. quòd Christus, multo sanguine in flagellatione, & coronatione eadem nocte fuso debilitatus, non potuisset solus illam ferre usquè ad exitum urbis. 2. Quia titulus Crucis, tribus linguis scriptus in tabella non admodum ampla, qualis nunc videtur Romæ, & characteribus hæud magnis, vix aut ne vix in tanta altitudine legi potuisset a præterentibus. Dicendum ergo videtur, cruceo fuisse humilem octo, aut ad summum decem, pedum, prout mos erat pro hominibus vulgaribus, qualem Judæi, & Romani reputant nostrum Christum, utpote fabricum, & fabri filium: viris enim eminentioris status cruces eminentiores parabantur.

Major est difficultas de forma Crucis. Baronius ad ann. 34. scribit ex Ireneo l. 2. c. 42. Tertull. Apolog. c. 6. Ambr. serm. 55. Aug. Tract. 118. in Joan. & ex sensu universæ Ecclesiæ, ut constat ex antiquis imaginibus, Crucis Christi hæc fuisse formam, ut summa pars pali super transversum lignum emineret ad hunc modum: putatque de his ambigere, insanisè ponis, quam inscitè adscribendum esse.

Verumtamen, Crucem Christi habuisse tantum tres extremitates, & referre figuram litteræ T, cui postmodum adjectus titulus in tabella quartam extremitatem ostenderit, contentit Serrius exercit. 53. etiam ex Tertull. l. 3. cont. Marcion. dicente: ipsa littera Græcorum Tau, nostra autem T, specis crucis est. Ex Hieron. in cap. 9. Ezech. ubi dicit: Antiquis Hebræorum litteris, quibusque hodie Samaritanæ utuntur, extrema Tau crucis habet similitudinem. Idem S. Paulinus Ep. 2. ad Severum, Sozom. l. 7. c. 15. Rufin. l. 2. c. 29. sed & maxime Innoc. III. Serm. habito in Conc. Lateran ubi dicit: Tau est ultima littera Hebræicæ Alphabeti expressens formam crucis, qualis erat antequam Domino crucifixo Pilatus titulum supponeret. Rationem addit laudatus Serrius, scilicet si in eminenti desuper pali parte titulus fuisset affixus, dum Helena Constantini mater tres cruceo scilicet Christi, & latronum, disjectumque seorsim titulum invenit, eruitque, nullo hominis redivivi portento fuisset opus ad discernendum, e qua Dominus pependisset, cum vel ipsa affixi olim tituli clavorum vestigia atque foramina in summa ligni parte extantia prodidissent. Verum hæc ratio non cogit: potuit enim tabella tituli summitati cruceo, non clavis, sed uncis adjecti, vel equidem clavis affigi, sed in summitate alterius stipitis seu columnæ supereminentis a retro supremam extremitatem crucis, ut agnoscat ipse Serrius factum in figura crucis quam propugnat. Quantum ad Patres laudatos pro prima sententia dicit idem Scriptor, intelligendos esse de titulo recto crucis palo superaddito in modum columnæ separatæ, quo fit quadrata forma, sunt quatuor extremitates, & quatuor dimensiones crucis, ut loquuntur laudati Patres.

Verum juxta hæc explicationem equidem crux appareret quadrata, quatuor extremorum, & quatuor dimensionum, at reverà non erit in se talis, sicut tamen esse dicunt SS. Patres. Ireneo cit. Ipse habitus crucis, inquit, fines, & summitates, id est, extremitates, habet quinq;ue, duas in longitudinem, duas in latitudinem, & unam in medio, ubi requiescit. qui clavis configitur. Aug. cit. Lata est quippe in transverso ligno, longa est a transverso ligno usque ad terram. alta est in cacumine, quòd transversum lignum sursum versus excedit. Habet itaque utraq;ue sententia suos Patronos ex SS. Patribus: primæ autem favet sensus communis Fidelium, latenti ipso Serrio.



verba refert Eusebius in Chronico, & ex Eusebio Hieron. etiam in Chronico. Hec sunt: Quarto autem anno 202. Olympiadis, magna, & excellens inter omnes, que ante eam acciderunt, defectio solis facta est. Dies hora sexta ita in tenebras noctem verus est, ut stelle in celo vise sint, terraque motus in Bithynia Nicæa Urbis multas ades subvertit. Idem refertur in Chronico Alexandrie. Idem Eusebius in Chronico ibid. refert adhuc alia monumenta Ethnicorum, quæ narrant tenebras, & motus terræ tempore Passionis Christi; dicit enim: Quo tempore (Passionis Christi) & in aliis Ethnicorum Commentariis hæc ad verbum scripta reperimus. Solis facta defectio, & tenebræ super universam terram. Bithynia terræ motu concussa, & in Urbe Nicæna ades plurimæ corruerunt. Que omnia iis congruunt, que in Passione Salvatoris acciderunt. Tertullianus in Apologetico eundem Phlegontem, vel alium Gentilem indicans, dicit: Eodem quidem momento dies, medium orbem sole signante, subducta est: deliquit utique putaverunt, qui id quoque super Christum prædicatum nescierunt. Et tamen eum mundi casum relationem in Archæis vestris. Similiter S. Lucianus in actis sui Martyrii apud Rufinum, & Gentiles alloquens: Perquirite, inquit, in Amalibus vestris, & invenietis temporibus Pilati, fugato sole, interruptum tenebris diem.

Male me habet, quod Serrius Phlegontis testimonium futilibus, ut mihi videtur, rationibus Religioni eripere conetur. Vult ergo, incertum esse Phlegontem scripsisse de "obscuracione solis, que contigit moriente Christo. 1. Quia Origenes dicit, quod hoc testimonium neminem sapientem movere possit. 2. Quia Phlegon non dicit, suum solare deliquitum luna plena contigisse. 3. Quia silet de eo ad tres horas perdurasse. 4. Quia narrat terræ motus Nicææ in Bithynia factos, silet de terræ motibus factis in Palestina. 5. Dicit, has tenebras contigisse anno 4. Olympiadis 202. quæ est morientis Christi incerta Epochæ. R. ad 1. Origenem contra Celsum Phlegontis testimonium urgere. Aliunde quidquid sit, uni Origeni prævalent Eusebius, Hieron. Tertull. Lucianus, Chronicon Alexandrie, &c. Ad 2. ut quid Phlegon meminisset plenilunii, cum non asserat, has tenebras contigisse per veram, & propriè dictam eclipsim ex interpositione lune ad solem, ut imaginatur Serrius; dicit simpliciter Phlegon, defectio solis facta est: sive autem sol obscuraretur per interpositionem lune, sive alterius corporis, sive subtractione radiorum, aut extinctione lucis, semper est defectio solis. Sed esto, Phlegontem intellexisse veram, & propriè dictam eclipsim ex interpositione lune, non notavit plenilunium, sive quia in monumentis, ex quibus id exscripsit, non invenit notatum defectu scientiæ astrorum in Scripturibus; sive quia ipse Phlegon in hac scientia parum versatus non attendit, an hæc eclipsis esset naturalis, vel supernaturalis. Quidquid sit, hac difficultate non sunt moti Eusebius, Hieron. & alii, quos citavimus. Ad 3. N. Conseq. quasi verò ex omissione unius circumstantiæ neganda sit substantia facti. Ad 4. Phlegon potuit scire motus terræ factos in Bithynia, & ignorare factos in Palestina. Ad 5. Epochæ mortis Christi secundum communem opinionem est tempus notatum a Phlegonte, scilicet anno 4. Olympiadis 202. qui incidit cum ann. 18. Imperii Tiberii, & 33. anno Æræ communis, quo mortuus est Christus.

De scissione Veli.

Matth. 27. legitur: Jesus autem clamans voce magna emisit spiritum. Et ecce velum Templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum. Similiter Marcus 15. Juxta Josephum de bello Judaico erat duplex velum; unum exterius, quod separabat atrium, in quo consistebat populus, a Sancto seu loco in quo Sacerdotes sacra munia obabant. Alterum interius, quod separabat Sanctum a Sancto Sanctorum, in quod introibat summus Pontifex semel in anno. Agnoscent pariter hoc duplex velum Origenes Tract. 75. in Matth. & Hieron. Ep. ad Hebridos 150. q. 8. idque significat Paulus Hebr. 9. v. 3. dicens: Post velamen

DISSERTATIO X.

DE CAUSA EFFICIENTE PASSIONIS CHRISTI, DE EJUS CAUSALITATE, & Effectibus.

D. Thom. Quæst. 47. 48. & 49.

ARTICULUS I.

De causa efficiente Passionis Christi.

Queritur hic. 1. Utrum Christus fuerit ab aliis occisus, an a seipso? 2. Ex quo motivo se passioni tradiderit? 3. Utrum

tum autem secundum, &c.

Idem ibidem docent, velam exterius, non interius, fuisse scissum. Verba sunt Hieron. cit. Querendum, quod velum Templi scissum sit, exterius, an interius? Mihi videtur in Passione Domini illud velum esse conscisum, quod in Tabernaculo, & in Templo foris positum fuerat, & appellabatur exterius. Quia nunc ex parte videmus, & ex parte cognoscimus: eum autem venerit, quod perfectum est, tunc, & velum interius dirumpendum est, ut omnia, que nunc nobis abscondita sunt, domus Dei Sacramenta videamus. Equidem quidam alii Patres, Cyrillus, Lactantius, Leo M. Beda, &c. censent, velum interius, quod separabat Sanctum a Sancto Sanctorum, fuisse scissum; sed fortè quia non distinguebatur duplex velum.

Quid autem mysterii habet veli scissio? Præter jam dicta ex Hieron. de veli exterioris scissione, circa scissionem veli indistinctè varii varia protulerunt. Quidam dixerunt, ea significari velamen legalium sacrificiorum, & ceremoniarum morte Christi esse dissolutum, & revolutum, ita ut etiam Ethnici luce Evangelii jam clarè viderent, quæ tot Judæorum figuris adumbrabantur. Alii abrogationem, ac veluti dissolutionem Synagægæ. Alii Judæici populi dissipationem atque divisionem. Alii Passionem Christi esse finitam, & animam a corpore esse separatam. Alii luctum Templi, vestem suam more Judæico conscindentis. Alii demùm jam apertam esse viam cœli, ut exponit Apost. Hebr. 9. vers. 8.

De Motu Terræ.

Subjungit immediatè Matth. Et terra mota est: petre scisse sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis. Hunc terræ motum non fuisse universalem, probabilis est, cum de illo ut talissem omnes Scriptores, tam sacri, quam profani; sed fuit dumtaxat in Judæa, & in aliquibus Provinciis, ut in Bithynia, teste Phlegonte, de quo supra.

Idem ascendunt est de scissione petrarum, & apertione monumentorum, quæ isto terræ motu factæ sunt. De iis, qui tunc surrexerunt, dicam infra, dàm de Resurrectione Christi.

De Magno Panis.

Eusebius l. 5. Præparationis c. 9. narrat ex Plutarcho l. 1. de Defect. Orac. quosdam navigantes circa Insulas Echinas adudivisse vocem ex Insula Praxis clamantem, Magnum Panam esse mortuum; eademque voce jussum Thamo navis gubernatori, ut id denuntiaret, ac proclamaret, dum esset juxta Palodem in Cypro; quod cum ipse fecisset, magna voce clamans: Magnus Pan mortuus est, subito innumerabilem gemitus, & clamores audiri sunt. Hæc cum Tiberio Cæsari renuntiata essent, is acutos Philosophos interrogavit, quisnam esset iste Pan? qui responderunt; sibi videri eum esse, qui ex Mercurio; & Penelope natus esset. At quomodo tunc mortuus esset iste Pan, qui longè antea jam obierat? Neque potest intelligi de dæmone, qui cum sit purus spiritus, morti non subjacet.

Aliter ergo intellexerunt Scriptores Ecclesiastici. Baronius per mortem Panis intelligit mortem Christi, qui est verus Pan, hoc est universorum Dominus. Sed repugnare videtur, Christum constituisse nuntios suæ mortis, scilicet dæmones, quos noluit habere præcones suæ divinitatis, Luc. 4. & voluisse indigitari nomine infamis Ægyptiorum Idoli. Verius intellexit Eusebius per mortem Panis, eversionem Regni dæmonis morte Christi illatum, idque convenienter instituit Plutarcho, qui ibi agit de defectione Oraculorum. Et hæc probabiliora sunt, supposita veritate historie; cui, licet a pluribus receptæ, plures etiam fidem detrectant, aut saltem nolunt eam habere quidquam commune cum morte Christi. Quod nos sub dubio relinquimus.

sa directa illius mortis; quia causam sufficientem mortis ei intrulerunt cum intentione occidendi, & effectu consequente; ex illa enim causa mors est subsecuta.

Christus (Ibid.) autem fuit causa indirecta suæ mortis, quantum vim illatum suo corpori non impedit; prout poterat, sed acceptavit. (Ibid. ad 1.) Et hoc sensu verum est, quod dicit Josna. 10. Nemo tollit animam meam à me, invito scilicet, sed ego pono eam.

Dices: Qui ab aliis occiditur, paulatim debilitata natura deficiunt, & maxime hoc apparet in crucifixis, qui, ut ait Aug. 5. de Trin. c. 13. longa morte cruciantur. Atqui hoc non accidit Christo, nam clamans voce magna emisit spiritum, Matth. 27. ergo. R. (Ibid. ad 2.) quod, ut Christus ostenderet, quod passio illata per violentiam ejus animam non eripiebat, nisi in quantum vellet, naturam corporalem in sua fortitudine conservavit, saltem quantum ad hoc, ut in extremis positus voce magna clamaret, quod inter alia miracula mortis computatur. Undè Marci 15. Videns centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans exprasset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat. Quod autem Auctor addit ibidem, id fuisse etiam mirabile, quod citius mortuus sit aliis, qui simili passione afflictebantur, non intelligit fuisse miraculum, quasi anima corpore deseruerit priusquam adesset causa sufficiens mortis; sed intelligit, id fuisse mirabile iis, qui ignorabant tenebram ejus complexionem, secundum quam vulnera citius in eo causerunt mortem, quam in aliis. Et hæc de causa mirabatur Pilatus, si jam obisset Marci 15.

Dico 2. (Ibid. art. 2. o.) Christus ex obedientia mortuus est. Constat (Ibid. ad 1.) ex Joann. 10. ubi ipse Christus dicit: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre meo, scilicet, ponendi animam meam, & sumendi eam. Item ibid. 14. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic factus: surgite, etiam hæc, scilicet, ad locum passionis. Item ex illo Philip. 2. Factus est obediens usque ad mortem. (Ib. o.) Id autem erat conveniens justificationi hominum, ut sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti multi, ita per unius obedientiam justitiam tenerentur multi, ut dicitur Rom. 5.

Dices: Christus mortuus est ex charitate, secundum illud Ephes. 5. Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis: ergo R. (Ib. ad 3.) Quod eadem ratione Christus passus est ex charitate, & obedientia, quia & ipsa charitas præcepta erga Deum, & homines ex obedientia implevit, & obediens fuit ex charitate ad Patrem præcipientem. Plura de rigoroso præcepto moriendi Christo imposito requirit in Tract. de Incarnat. Diss. 18. art. 4.

Dico 3. (Ibid. art. 3. o.) Deus Pater tradidit Christum Passionis, juxta illud Rom. 8. Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Et hoc triplici modo. 1. Quia sua æterna voluntate præordinavit passionem Christi ad humani generis liberationem; non quidem decernendo illas actiones Judæorum erga Christum quatenus erant peccatorum, sed decernendo Christum pati a Judæis, ejusque passionem ordinando ad nostram redemptionem. 2. In quantum ei inspiravit voluntatem patienti pro nobis, infundendo charitatem. 3. Non protergendo eum a passione, sed exponendo perseverantibus.

Dico 4. (Ib. art. 4. o.) Conveniens fuit, ut Christus a Judæis pati inciperet, & postea Judæis tradentibus per manus Gentilium ejus passio finiretur; quia sic in ipso modo Passionis Christi præfiguratus est ejus effectus. Primum enim Passio Christi effectus salutis habuit in Judæis, quorum plurimi in morte Christi baptizati sunt, Act. 2. & 3. Deinde, Judæis prædicantibus, effectus Passionis Christi transivit ad Gentes.

Dico 5. (Ibid. art. 5. o.) Primates Judæorum, qui eorum Principes dicebantur, cognoverunt Christum esse Messiam in lege promissum: videbant enim in eo omnia signa, quæ Prophetæ futura prædixerant de Messia: nec obstat, quod Luc. 22. illis interrogantibus, an Jesus esset Christus, responderit ipse Christus: si vobis dixero, non creditis: vel enim intelligendum est de Christo, ut Filio Dei, ut patet ex interrogatione altera versu seq. Tu ergo es Filius Dei? Vel dicantur non credere; quia, licet signis parentibus convicti essent, voluissent tamen, & conabantur ex perveritate cordis sui infirmare.

Minores seu plebei, (Ibid.) qui mysteria Scripturæ non noverant, non plene cognoverunt esse Christum seu Messiam. Licet enim aliqui eorum in eum crediderint, multitudo tamen non credidit. Et si aliquando dubitaverint, an ipse esset Christus propter signorum multitudinem, postea tamen decepti a suis Principibus fuerunt, ut non crederent esse Christum.

Neutri autem (Ibid.) cognoverunt esse Deum, & Filium Dei naturalem, juxta illud Joann. 16. Non noverunt Patrem, neque me. Cum hoc tamen discrimine, quod ignorantia Majorum non excusaret eos absolute à crimine, quis erat crassa, & quodammodo affectata: videbant enim evidentiâ signa divinitatis ipsius, Theol. Billuart. Pars Tertia.

sed ex odio, & invidia in ipsum pervertebant, & verbis ejus, quibus se Dei Filium asserbat, credere volebant. Undè ipse Christus de eis dicit Joann. 15. Si non viderem, & locutus eis non fuisset, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Et postea subdit: Si opera non fecissem in eis, que nemo alius fecit, peccatum non haberent.

Si quidem Patres, ut Chrysost. & Beda, dicant (Ibid. ad 1.) eos agnovisse esse Filium Dei, vel loquuntur de Filio Dei non per naturam, sed per excellentiam gratiæ singularis; vel intelligunt, eos cognovisse verum Dei Filium, quantum evidentia signa hujus rei habebant, quibus tamen propter odium, & invidiam assentire noluerunt, ut eum cognoscerent esse Filium Dei.

Dico 6. (Ib. art. 6. o.) Peccatum crucifigentium Christum fuit gravissimum. In Principibus quidem tam ex genere, seu obiecto quia erat contra Deum, seu contra eum, quem poterant, & debebant scire esse Deum; quam ex parte peccantium, quia maxima malitia illud admiserant. In popularibus autem ex genere tantum, minuebatur enim ex parte illorum propter ignorantiam. Dixi: gravissimum peccatum, id est, valde grave, non autem gravissimum comparatè ad omnia alia peccata; quia odium Dei, blasphemia, & similia, quæ sunt formalitèr contra Deum, graviora sunt, quam quæ sunt formalitèr contra humanitatem, & materialitèr tantum contra Divinitatem, quale fuit peccatum crucifigentium Christum, ut docet Auctor infra q. 80. art. 5. Quamvis enim odissent Christum, cum tamen odio habebant formalitèr ut hominem tantum, non formalitèr ut Deum, quem ignorabant, licet vincibiliter.

ARTICULUS II.

Quomodo Passio Christi operata sit nostram salutem?

Dico 1. (q. 48. art. 1. o.) Passio Christi operata est nostram salutem per modum meriti. Quia Christus habuit gratiam, quæ est principium meriti, non tantum ut singularis homo, sed ut caput aliorum; ideoque per voluntariam passionem non solum sibi, sed suis membris meruit salutem.

Dices: Christus ab instanti suæ conceptionis meruit nobis salutem, singule ejus actiones ab initio conceptionis fuerunt infiniti valoris; atqui superfluum est, aliquem iterum mereri, quod jam antea meruerat: ergo R. D. Maj. Christum ab initio suæ conceptionis meruit nobis salutem, attentò valore operum, C. attentà Dei ordinatione, N. Quamvis ergo singule Christi actiones ab instanti conceptionis essent infiniti, & pluraquam sufficientes valoris ad redemptionem nostram, Deus tamen illas non ordinaverat ad redemptionem nostram absque passione propter rationes, quas deduximus art. 1. Diss. præced. concl. 2. Undè independentèr a passione non conferrebat jus absolutum, & perfectum ad salutem, ideoque salus nostra tribuitur passioni.

Dico 2. (Ibid. art. 2. o.) Passio Christi operata est salutem nostram per modum satisfactionis; quia Christus patiente exhibuit, ut caput nostram, Deo aliquid majus, quam exigeret recompensatio totius offensæ generis humani: 1. propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur, 2. propter dignitatem vitæ suæ, quæ erat vita Dei, & hominis, quam ponebat. 3. propter generalitatem passionis, & magnitudinem doloris assumpti, ut explicuimus art. 1. Diss. præced. concl. 4. & 5. Hæc autem a supposito divino, a quo procedebant, habebant valorem infinitum, tam satisfactorium, quam meritorium. Quantum ad has duas conclusiones, vide quæ fuscè dixi in Tract. de Incarnat. Diss. 19. de merito, & satisfactione Christi.

Dico 3. (Ibid. art. 3. o.) Passio Christi operata est nostram salutem per modum sacrificii; quia fuit oblatio rei sensibilis cum sui immutatione, facta in honorem Deo proprium, hoc est, in recognitionem supremi illius dominii, & ad ipsum placandum, hoc enim est propriè sacrificium. Quod autem hic dicit Auctor ex Aug. l. 10. de Civ. c. 6. omne opus bonum, quod agitur, ut charitate iherreamus Deo, esse verum sacrificium, intelligendum est, quod sit verum sacrificium veritate fructus, & excellentiæ, non veritate essentiae. Vide plura de Passione Christi, ut Sacrificio, in Tract. de Incarnat. Diss. 19. art. 4. prob. 2. & Diss. 20. art. 3.

Dico 4. (Ibid. art. 4. o.) Passio Christi operata est nostram salutem per modum redemptionis; quia fuit sufficiens, & superabundans satisfactio pro peccato, & restu prene, ut dictum est; atqui satisfactio, qua quis satisfacit pro se, sive pro alio, pretium quoddam est, quo seipsum, vel alium redimit a peccato, & pena: ergo redemptio. Undè Matth. 20. Filius hominis venit dare animam suam, redemptionem pro multis. Et Rom. 3. Justificati sumus per redemptionem, que est in Christo Jesu.

Dices: Nullus emit, vel redimit, quod suum esse non disist; atqui homines nunquam desierunt esse Dei: ergo R. D. Min. (Ibid.)

(Ibid. ad 1.) Homines nunquam desierunt esse Dei quoad subjectionem eius potestati, C. quoad unionem per charitatem, N. pro peccatum enim facti sumus Deo inimici, & ab eo secundum affectum divisi, atque servituti diaboli subjecti.

Inferes: Ergo pretium redemptionis nostrae solvendum, & offerendum erat diabolo, & non Deo. Prob. Illatio. Quicumque emit, aut redimit aliquid, pretium solvit ei, qui possidet; atque ex solutione praecedenti diabolus homines possidebat, utpote ejus servituti subjectos, ut dictum est: ergo.

R. N. Illat. ad prob. D. Min. (Ibid. ad 2. & 3.) Diabolus homines possidebat, ut tortor, seu minister ex permissione, & ordinatione Dei, C. ut Judex seu Princeps propria auctoritate, N. Ad quorum intelligentiam observandum est, quod homo peccando oblatas erat Deo, & diabolo. Quantum enim ad culpam Deum offenderat, & diabolo consentiens se ei subdiderat: unde ratione culpae non erat factus servus Dei, sed potius ab ejus servitute recedens diaboli servitutum incurerat, Deo ut Principe offenso justè id permittebat: sed quantum ad poenam principaliter homo erat obligatus Deo sicut summo judici, diabolo autem tanquam tortori. Quamvis ergo diabolus teneret hominem sub servitute, & quantum ad poenam, & quantum ad culpam; quia tamen sic erat quantum ad culpam ex permissione Dei per illum offensus, & quantum ad poenam ex justa ejus ordinatione, ita ut diabolus esset tantum in iis minister, ideo non illi, sed Deo pretium redemptionis erat solvendum, & offerendum.

Dico 5. (Ibid. art. 5. o.) Christo homini proprium est esse redemptionem strictè sumptum; quia redimere strictè, & propriè est de suo solvere pretium liberationis; atque solus Christus solvit rigorosè de suo pretium nostrae liberationis, fundendo scilicet vitam, sanguinem suum: ergo. Dixi: Redemptorem strictè sumptum (Ibid. ad 1. & 2.) quia si latiori sensu dicatur redemptoris, qui est prima causa, & auctor redemptionis, dando eum qui solvit, inspirando illi voluntatem solvendi, & cum illo ad omne opus redemptionis operando, hoc sensu tota Trinitas nos redemit: haec enim dedit nobis Christum hominem, inspiravit illi voluntatem patienti, & omnes actiones redemptionis humanae in eo operata est. Et ideo Auctor dicit, in quantum est immediatè Redemptorem proprium sui Christi, in quantum est homo: quamvis ipsa redemptio possit attribui toti Trinitati, sicut primae causae.

Dices 1. Merita Sanctorum nobis applicentur per Indulgentias in remissionem poenarum, peccatis nostris debitum: ergo dici possunt nostri Redemptores. 2. Sancti dicuntur nostri Mediatores, Galat. 5. ergo & Redemptores. 3. Moyses Act. 7. dicitur Redemptor: ergo. R. Ad 1. merita Sanctorum non nos a culpa & poena aeterna, sed temporali tantum liberat, ideoque non nisi praesupposita redemptione per Christum facta, & ideo neque secundum rigorem justitiae. Quando autem dicimus, esse proprium Christo esse Redemptorem, intelligimus de redemp-

tione a culpa, & poena aeterna, atque secundum rigorem justitiae. Et hinc patet ad 2. quia in meditatione non importatur aequalitas & rigor justitiae, sicut in redemptione. Ad 3. Moyses dicitur esse Redemptor, non respectivè ad culpam & poenam aeternam, sed ad captivitatem Aegyptiacam, a qua Israelitas liberavit. Neque id fuit propriè redimere, cum nihil fuerit solutum pro liberatione.

Dico 5. (Ibid. art. 6. o.) Passio Christi, hoc est, humanitas Christi, ut aliquando subjecta Passioni, sicut nostram operatur efficienter; quia est instrumentum Divinitatis. Sic intelligendum esse Auctorem, cum dicitur Passione Christi causare efficienter nostram salutem, constat; quia ad efficientiam realem, & physicam requiritur existentia causa: non autem amplius existit Passio Christi; & ita se explicat S. D. quæst. seq. art. 1. in fine corp.

ARTICULUS II.

De effectibus Passionis Christi.

Dico 1. (Quæst. 49. art. 1. o.) Per Passionem Christi liberati sumus a peccato, quatenus Christus, sicut dictum est Art. præced. ut cepit nostrum per Passionem tanquam per pretium redemit nos, ut membra sua a peccatis: sicut si homo per aliquod opus meritorium, quod manu exercet, redimeret se a peccato, quod pedibus commisisset. Sicut enim corpus naturale est unum ex membrorum diversitate consistens, ita tota Ecclesia, quæ est mysticum corpus Christi, computatur quasi una persona cum suo capite, quod est Christus. Ceterum conclusionem sic intellige, (Ibid. ad 3. & 4.) non quod Passio Christi actu efficaciter omnes homines liberet a peccato, (quot sunt enim qui adhuc in eo permanent) sed quod sit causa universalis sufficiens ad redemptionem peccatorum totius generis humani, quæ tamen ut effectum habeat, debet applicari. Sicut, si medicus prepararet medicinam omnis generis morborum sanativam, nullam sanaret nisi applicata seu sumpta.

Ex hac Concl. sequitur 1. (Ibid. art. 2. o.) quod per Passionem Christi liberati sumus a potestate diaboli, in cuius servitute incidimus per peccatum. Sequitur 2. (Ibid. art. 3. o.) sublato peccato, nos liberari a poena aeterna illi debita. Sequitur 3. (Ibid. art. 4. o.) nos esse Deo reconciliatos soluti causa inimicitiae, quæ erat peccatum. Sequitur 4. (Ibid. art. 5. o.) apertam nobis esse viam Cæli sublato impedimento ad egressum, quod est peccatum. His omnes sequelas intellige ad sensum dictam conclusionis: scilicet Passione Christi esse causam universalem, quæ sit sufficiens ad hos omnes effectus, quos tamen ut actu operetur, debet applicari per sacramenta, & bona opera.

Dico 2. (Ibid. art. 6. o.) Christus per suam Passionem meruit exaltari. Pro quo vide Tract. de Incarn. Diss. 19. art. 2.

DISSERTATIO XI.

DE MORTE, SEPULTURA, ET DESCENSU CHRISTI AD INFEROS.

Div. Thom. 22. 51. 52. & 53.

ARTICULUS I.

De Morte Christi.

Occurrunt in hoc Articulo discutienda. 1. An conveniens fuerit, Christum mori? 2. An per mortem Divinitas fuerit separata a corpore? 3. An ab anima? 4. An in triduo mortis Christus fuerit homo? 5. Utrum ejus corpus fuerit idem numero vivum & mortuum? 6. Utrum mors ejus aliquid operata sit ad nostram salutem? Ad quorum resolutionem.

Dico 1. (Quæst. 50. art. 1. o.) Conveniens fuit, Christum mori. 1. Ut satisficeret pro nobis, qui propter peccatum adjuicati eramus mortui. 2. Ut ostenderet veritatem naturæ assumptæ; si enim post conversationem cum hominibus subito sine morte evanisset, ab omnibus crederetur phantasma. 3. Ut moriendo nos a timore mortis liberaret. 4. Ut resurgendo a mortuis, & virtutem suam ostenderet, qua mortem superavit, & nobis spei resurgendi a mortuis daret. Unde Apostolus 1. Cor. 15. Si Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quisquam in vobis dicent, quoniam resurrectio mortuorum non est? Confer Diss. 9. art. 1. Concl. 2.

Dico 2. (Ibid. art. 2. o.) In morte Christi Divinitas non fuit separata ab ejus corpore; sed ipsi in se hypostaticè unita, ita ut non esset alia hypostasis Verbi Dei & carnis post mortem,

Prob. 1. (Ibid.) Quod per gratiam Dei conceditur, ut quid natura sua permanens, nunquam absque culpa revocatur: unde Rom. 11. dicitur, quod sine penitentia sunt Dona Dei: sic gratia adoptionis, per quam homines sanctificantur, nunquam perditur sine culpa. Atque gratia unionis, per quam Divinitas est unita carni Christi in persona, multo major est gratia adoptionis, etiam magis personalis, gratia autem adoptionis ad quamdam unionem affectualem; neque in Christo fuit, aut potuit esse ullum peccatum: Ergo.

2. Et, (Ibid. in art. 5. c.) quæ sunt humanæ naturæ, non dicuntur de Filio Dei, nisi ratione unionis hypostaticæ; atque de Filio Dei dicitur, quod convenit corpori Christi post mortem, scilicet esse sepultum, ut patet ex Symbolo Fidei, in quo dicitur, quod Filius Dei sit passus, mortuus, & sepultus: ergo Divinitas non fuit in morte separata a corpore. Neque etiam fuisse in triduo mortis separatam a sanguine fuso, dixi in Tract. de Incarn. Diss. 7. art. 2. in fine.

Dico 3. (Ibid. art. 3. o.) In morte Christi Divinitas non fuit separata ab ejus anima. 1. Quia anima unita est Verbo Dei per prius, & immediatè, quam corpus, siquidem corpus fuerit unitum mediante anima, seu ratione animæ: Christus enim assumpsit naturam humanam, corpus autem per animam pertinet ad naturam humanam; atque in morte Christi Divinitas non

DE MYSTERIIS CHRISTI.

non fuit separata a corpore, ut dictum est: ergo multò minùs ab anima. 2. De Filio Dei prædicatur, quod est animæ, scilicet, quod descenderit ad Inferos; atque, ut dictum est, ea, quæ sunt naturæ humanæ, non dicuntur de Filio Dei, nisi ratione unionis hypostaticæ: ergo.

Dico 4. (Ibid. art. 4. o.) Erroneum est dicere, Christum in triduo mortis esse hominem; quia, cum sit verè mortuus, anima ejus a corpore separata est; in qua separatione sita est mors, & destructio humanitatis, sicut in eorum unionem sita est humanitas.

Neque etiam in triduo mortis propriè fuit Christus; quia Christus dicitur suppositum existens in natura divina, & humana: tunc autem natura humana desierat per separationem animæ a corpore, ut dictum est. Paterat tamen per Synecdochen dici Christus, sicut etiam nùm dicitur S. Petrus.

Dico 5. (Ibid. art. 5. o.) Corpus Christi vivum, & mortuum fuit idem numero absolute; quia aliquid dicitur idem numero absolute, quod est idem supposito: corpus autem Christi vivum, & mortuum fuit idem supposito, ut patet ex dictis. Non fuit tamen idem numero omnino, & totalitèr, quia vita, quam amisit in morte, est de essentia corporis viventis. Unde non fuit idem numero secundum speciem naturæ humanæ.

Si petas, utrum corpus Christi mortuum manserit sine forma substantiali? R. probabiliùs negative, sed assumpsisse formam cadaveris humani; quia secundum principia Philosophiæ materia non potest naturalitèr esse sine forma, nec videtur hic necessitas adstruendi miraculum.

Inferes 1. Ergo est diversitas corporis. 2. Ergo Verbum dimisit aliquando, quod assumpsit. R. ad 1. esse diversitatem corporis ratione novæ forme, & ideo non esse idem numero secundum speciem naturæ humanæ, ut dictum est, remanet tamen idem supposito. Ad 2. Nihil repugnat, quod Christus dimiserit id, quod non fuit principalitèr assumptum, ut fuit forma cadaverica.

Dico 6. (Ibid. art. 6. o.) Mors Christi in facto esse nihil operata est ad nostram salutem per modum meriti, quia Christus tunc mortuus erat extra statum merendi. Si autem per mortem in facto esse intelligamus carnem mortuam, potuit operari efficienter ad nostram salutem, quia remanebat instrumentum Divinitatis sibi unitæ.

ARTICULUS II.

De Sepultura Christi.

Dico 1. (quæst. 51. art. 1. o.) Convenientèr Christus fuit sepultus, tum ad comprobendam veritatem mortis; non enim aliquis in sepulchro ponitur, nisi quando jam de veritate mortis constat: tum quia per hoc quod Christus de sepulchro resurrexit, datur spes resurgendi per ipsum his, qui sunt in sepulchro.

Dico 2. (Ibid. art. 2.) Convenienti modo Christus fuit sepultus. Juxta Matth. 27. & Joann. 19. Joseph ab Arimathea cum Nicodemo 1. Corpus Christi nuxit centum libris aromatum ex myrrha, & aloè, emptis a Nicodemo. 2. Involvit sindone munda. 3. Posuit in monumento suo novo. 4. Hoc monumentum erat in horto vicino. 5. Excisum erat in petra. 6. Advolvit magnum saxum ad ostium monumenti. Haec autem omnia dicimus convenienter facta.

1. (Ibid. ad 2. & 3.) Corpus Christi aromatis myrrhæ, & aloè conditur convenienter moribus Judæorum, qui sic solebant condire corpora, ut diutius conservarentur illæsa. In hujusmodi autem officis, quæ mortuis exhibentur, mos cujuslibet gentis est servandus, inquit Aug. Tract. 120. in Joan. 2. (Ibid. ad 3.) Involvit sindone munda ad decentiam honestatis. 3. (Ibid. ad 4.) Sepelitur in monumento alieno, ut, qui dormit in vita non habuit, post mortem quoque in alieno sepulchro reconderetur. Item in monumento novo, in quo scilicet nemo antea positus fuerat, ne alius ibi sepultus resurrexisset fingeretur, & crederetur. Hoc monumentum erat in horto, quia nemo sepeliebatur in urbe. 5. (Ibid.) Excisum erat in petra, sic disponente divina providentia, ne si ex lapidibus fuisset extractum, suffossis fundamentis, vel diritis, & repositis ladicibus, rapum a Discipulis fingeretur. Si enim in terra fuisset sepultus, dicere poterant: suffoderunt terram, & furati sunt eum. 6. Advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, iterum contra calumnias Resurrectionis, ut sine plurimorum auxilio reserari non posset monumentum.

Dico 3. (Ibid. art. 3. o.) Corpus Christi mansit incorruptum in sepulchro, ad ostensionem divinæ virtutis, & ne crederetur, mortem ejus fuisse ex infirmitate naturæ, & non voluntariam; corruptio enim cujuscumque corporis provenit ex infirmitate naturæ illius corporis, quæ non potest amplius corpus continere in unum.

Theol. Billuart. Pars Tertia.

Dico 4. (Ibid. art. 4. o.) Christus fuit convenienter una die, & duabus noctibus in sepulchro. Ratio est, (Q. 53. art. 2. o.) quia istud tempus requirebatur, & sufficiebat ad probandam veritatem mortis Christi, ut dicam de ejus Resurrectione.

Dices: Matth. 12. dicit Christus: Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus: Ergo. R. hic tres dies, & tres noctes, scilicet naturales, intelligendas esse per Synecdochen, sumendo partem pro toto. Sic ergo primus dies, & prima nox computantur ab extremitate diei feriæ sextæ, qua Christus mortuus, & sepultus est, usque ad mediam noctem Sabbathi. Secundus dies, & secunda nox a media nocte Sabbathi usque ad mediam noctem diei Dominicæ. Tertius dies, & tertia nox a media nocte diei Dominicæ ad auroram ejusdem diei, qua Christus resurrexit.

ARTICULUS III.

De Descensu Christi ad Inferos.

Occurrunt hic explicanda, 1. an anima Christi realitèr, & substantialitèr, & non tantum secundum effectum descenderit in Infernum? 2. an convenienter descenderit? 3. in quem Infernum descenderit? 4. utrum aliquam moram ibi traxerit? 5. utrum SS. Patres ab Inferno liberaverit? 6. utrum etiam damnatos, & pueros in peccato originali defunctos? 7. item, & an animas Purgatorii?

Dico 1. (Quæst. 52. art. 1.) Christus, hoc est, anima Christi realitèr, & substantialitèr descendit ad Inferos, & non tantum secundum effectum, & operationem, Prob. 1. ex Symbolo Apostol. in quo dicitur, Descendit ad Inferos, quod obviè, & naturalitèr intelligitur de descensu reali, & substantiali, & non secundum effectum tantum; sicque intelligit communis sensus Fidelium. (2. 2. quæst. art. 9. ad 4.) Hujus autem non meminit Symbolum Nicænum, quia suppositum expressum in Symbolo Ap. & nullus tunc error circa hunc articulum exortus erat, qui indigeret nova expressione.

2. Ps. 15. Non derelinques animam meam in Inferno: quod Petrus Act. de Christo interpretatur.

3. Ephes. 4. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia, & descendit primum inferiores partes terræ? Inferiora autem terræ, inquit Hieron. Infernus accipitur. Eo modo ergo juxta Apost. Christus descendit in Infernum, quo modo ascendit in caelum realitèr autem, & substantialitèr ascendit in caelum: ergo.

4. Tandem hanc doctrinam tradunt Conc. Lateran. sub Innoc. III. cap. Firmittèr de SS. Trinitate, Symbolum dicitur S. Athanasii, S. Ignat. Ep. ad Trallianos, Nazianz. Orat. 2. de Resurr. Nyssenus Orat. 1. Aug. Ep. 57. & 99. & alii.

Dices cum Durando. 1. Anima separata non potest moveri localitèr. 2. Substantia spiritualis non est in loco nisi per operationem. Atque anima Christi separata nullam habebat operationem in Inferno: ergo. R. ad 1. (Hic art. 1. ad 3.) quod anima Christi non descenderit ad inferos eo genere motus, quo corpora moventur, sed eo genere motus, quo Angeli moventur.

Ad 2. (In 3. d. 22. quæst. 2. art. 2. quæst. 1.) N. Min. Anima enim Christi, ut instrumentum divinitatis operata est in inferno expellendo tenebras exteriores, & hunc locum illuminando.

Dico 2. (Quæst. 52. art. 1. o.) Conveniens fuit, ut Christus descenderet in Infernum. Primò, (Ibid.) quia homo per peccatum incurrerat non solum mortem corporis, sed etiam descensum ad inferos: ergo, sicut fuit conveniens ipsum mori, ut nos liberaret a morte, ita conveniens fuit eum descendere ad inferos, ut nos ab illo liberaret: cum hoc tamen discrimine, quod mors illi poena fuit, non descensus ad inferos, quia per mortem opus Redemptionis consummatum erat, & supera-bundantèr satisfactum divinæ justitiæ: unde descendendo ad inferos assumptis, quod nobis poena erat, sed non ut poenam sibi, nec sub ratione poenæ.

Observandum semel pro semper, quod, cum dicimus Christum nos liberasse a morte corporis, non est sensus, quod nos liberaverit a necessitate moriendi, morimur enim omnes, sed a necessitate permanendi in morte, quia resurgemus. Et hoc sensu Christus dicitur habere imperium mortis, & mortem moriendò vicisse, juxta illud Osæ 13. Ero mors tua, o mors.

2. (Ibid.) Quia conveniens erat, ut Christus descendit ad inferos, ut victos ejus, qui detinebantur in Inferno, eriperet, secundum illud Zach. 9. Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti victos tuos de lacu.

3. (Ibid.) Ut, sicut potestatem suam ostendit in terra vivendo, & moriendo, ita etiam potestatem suam ostenderet in inferno ipsum visitando, & illuminando, ut sic in nomine Jesu omne genuflectatur non solum caelestium, sed etiam infernorum. Philipp. 2.